

Sammelband G.

N.  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21



DISSERTATIO JURIDICA,

Sistens ex

*Præm. Inst. l. 4. C. d. contrah. stipul. §§. 5. & 6. Inst. de J.N.  
G. & C. l. 2. ff. de Orig. Jur. l. 3. C. de P. P. l. 3. C.  
de Test. M. § 24 ff. eod. Sc.*

OBSERVATIONES QUASDAM,

DE

PRUDENTIA IMPE-  
RATORUM ROMA-  
NORUM,

*Quas*

DIVINI NUMINIS AUXILIO,

Et

NOBILISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ  
CONSENSU,

Sub PRÆSIDIO

VIRI

PRÆNOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, AMPLISSIMI  
*atque EXCELLENTISSIMI*

DN. THEODORI PAULI, U. J. D.

Ejusdemq; in hac Albertina Profess. Prim.

Sereniss. ac Potentiss. Elector. Brandenb. Consilarii,  
& Judicii Aulici Rerum Criminalium Præsidis,

*Patroni sui maximi, & Hospitis per biennium  
munificentissimi,*

Placidæ Eruditorum ventilationi proponit  
& defendet

LEONHARD. JOHANN. CRUSE,

Autor. & Respond.

IN AUDITORIO MAJORI,

*Die 25<sup>to</sup> Septemb. Anno 1696.*

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

V I R O  
P R A E N O B I L I S S I M O , A M P L I S S I M O ,  
C O N S U L T I S S I M O atq; E X C E L -  
L E N T I S S I M O  
D O M I N O  
C A R O L O F R I -  
D E R I C O L A U ,  
J . U . D .

Serenissimi ac Potentissimi Ele-  
ctoris Brandenburgici Consiliario  
optimè merito,  
Advocato Fisci per Borussiam  
vigilantissimo,  
Consistorii Sambiensis Assessori  
Gravissimo ,

*Mæcenati, Hospiti ac Patrono suo maximo ,*

Hasce suas primitias Academicas

devoto animo consecrat

L. J. CRUSE.



# PROOEMIUM.



Agna profecto virtus atque sapientia est in illis, qui ex parvis opibus magnum imperium faciunt; non tamen minor eorum, qui Imperium jam partum feliciter retinere didicerunt. *Difficilius* (inquit Florus *lib. 4. c. 12.*) *est, provincias obtinere, quam facere; viribus parantur, jure ac prudentia retinentur.* Boni Principis officium est, non tantum in bello se præbere Ducem, sed & in pace Principem, vel (ut apertius dicam) non tantum armis Imperii fines propagare, sed ita Rempubl. bonis institutis gubernare debet, ut occupatis quiete possit frui. Et hæc summa est Reipubl., quæ armis defendenda, legibus vero conservanda, *vid. pr. C. de Just. Cod. conf.* Inter imperia, quæ à condito orbe Deus esse voluit, *nullum ab exordio fuit minus, nullum etiam quo incrementis toto orbe amplius humana memoria possit recordari, inquit, Eutrop. Lib. I. Hist. Rom. in initio quam Imperium Romanum.* Quod si quis magnitudinis hujus & laudis originem indagaturus esset, haud scio, an melior ipsi possit afferri ratio, quam si dixerò: summam Romanorum belli virtutem Rempublicam constituisse, constitutam vero egregia ac prudentissima conservasse instituta. Longum equidem esset, non tamen operosum ac difficile, multa tam bellicæ eorum artis quam togatæ prudentiæ specimina ex antiquarum historiarum conditoribus hæc cumulare. Ast, relictis bellicis artibus, illis, qui bella tractant, operæ pretium me facturum putavi; si quædam de prudentia eorum proposuero, illamque Imperatorum, quâ Imperium acquisivere, quâ tenuere, cum ex historicorum monumentis, tum maximè ex LL. fontibus reddidero manifestam. Quod dum Observationibus quibusdam facere constitui, earum exordium bonis jam facturum sum omnibus.

## OBSERVATIO I.

**I**psa cum Republica Romana nata est prudentia. Qui Reipublicæ conditor, idem & prudentiæ extitit autor. Romulus is fuit, qui, quod ipsis statim auspiciis tam auspiciatò res ipsi cesserunt, non

viribus & armis, sed prudentiæ acceptum referre tenetur. Viribus destituebatur, non tamen prudentiâ & consiliis, quorum ut multa posteris specimina reliquit miranda, ita unum quod præcæteris non minus ratione prudentius quam eventu felicius fuit, mihi videtur memorandum. Quid mentis fuisse putas Romulo, dum divinæ stirpis originem seque Martis filium mentitus? Non certè, quantum suspicari licet, alio fine hoc iniit consilium, quam ut omnium animos atque oculos in se converteret, hominesque in illam sedem, quam à Diis delectam, & in quam se à Diis missum, ut sanctissimis Legibus optimisque institutis temperaret, hominibus persvaserat, invitaret ac traheret. Nec defuit, nec facile deesse potuit consilio felix successus: *Eadem enim quæ Saturni temporibus fuisse perhibetur ab Aurelio Victore de Orig. Gent. Rom.* fuit hominum *simplicitas*, tanta scilicet, ut venientes ad se advenas, qui modo consilio ac sapientia præditi ad instruendam vitam, formandosq; mores aliquid conferrent, quod eorum parentes atque originem ignorabant, cælo & terra editos non solum ipsi crederent, verum etiam posteris affirmarent. Non mirari itaque subit, cur ipsis auspiciis tanta incrementa ceperit Respubl. Rom. cur & Romuli ætate tam mira vis hominum ex Latinis, Phrygibus, aliisque quorum meminit *Flor. lib. 1. c. 1.* influxerit; cum isti de divina hujus gubernatoris origine persvasi, ultro se ingererent (quis enim sub Deorum auspiciis se gubernari non pateretur?) Romulumque non aliter ac Deum, salutem ab ipso petitori accederent. Credidit ac fidem habuit ejusmodi commentis antiquitas, & quantopere sibi fictâ hac Romuli divinâ stirpe blandita, conditores historiarum dum ea ad posteros transmittere non dubitarunt, satis testantur. Interim prudentiores animadvertentes, his & ejusmodi fabulis hominibus posse imponi, similes rationes, ut se redderent venerabiles, iniere, cumque divinitatis speciem assumere vererentur, satis se habere putabant, si quodammodo de authoritate eorum, qui pro Diis habebantur, participarent. Ejus rei gratiâ quamplurimis usurpationem nominum eorum, qui Dii visi sunt populo, inserviisse, annotavimus, præcipuè in Imperatoribus Republicam occupantibus. Quando enim apud *Zonoram Annal. Tom. 2. it. Flor. lib. 4.* mentio fit, quod *Octavius* nomen *Romuli* affectârit, hoc consilio id eum fecisse suspicamur, ut ejusdem cum Romulo dignitatis & gloriæ haberetur consors, & populo ulterius sua merita venerandi & extollendi ingereret necessitatem; non enim virtute nec rebus gestis

Ro-

Romulo minor esse sibi videbatur Octavius; utpote qui se lateritiam invenisse, marmoream relinquere urbem gloriabatur. Et quamvis Senatus non Romuli, sed Augusti nomen ipsi contulerit, non minori tamen honoris & famæ incremento id accipere potuit; quippe Romanis nihil magis veneratione dignum quam augusta i. e. sacra. Et quantopere hoc & aliis nominibus suæ consuluerit dignitati Octavius, indicat Aurel. Viêt. de Cesarib. in vita Octavii. Ipsi enim hinc, inquit, uti Deo Romæ provinciisque omnibus, per urbes celeberrimas, vivo mortuoque templa, sacerdotes & collegia sacrata sunt. Et Dio Cassius lib. 53. p. 507. ex illa appellatione, eum amplio rem hominis naturâ habitum, & à Græcis σεβαστόν i. e. venerandum dictum testatur. Quo vero hocce assertum eô magis videatur veritati conforme, plures, qui non minus atq; Octavius, usurpatione nominum sibi dignitatem & authoritatem conciliare studuerunt, dabo. De Caligula constat, cujus notæ ille fuerit, & quæ meruerit nomina. Ut tamen magnum illud deliramentum crimina sua quodammodo obtegeret, speciem Dei præ se ferre gestiebat. Mox enim redimitus hederis, corona velatus aurea, thyrsumque tenens incedebat, seque Liberum Patrem salutare jubebat; mox mutatâ veste, Jovis habitu indutus ut Jupiter adorari volebat vid. Dion. Cass. lib. 59. p. 660. Aurel. Viêt. de Cesar. Ridiculè certe Caligula, in quo vix aliquid humanum ac homine dignum, ne dicam divinum fuit, & qui quidvis aliud quam homo videri volebat, (inquit Dio Cass. ib.) monstrum potius quam homo fuit dicendus. Idem quoque primus fuit omnium, qui intensissimum tum temporis Domini nomen usurpare, seque Dominum appellare cœpit; non aliam ob causam, quam cum imperio indignum se haberi intelligeret, authoritati suæ in Republica quodammodo confu-leret; quem tamen satis acutè tetigit Passienus judicans: nullum unquam nec meliorem servum, nec deterio rem fuisse Dominum. Et ne longius exempla ex alieno fonte petamus, & in Legibus Romanis ejusmodi nomina cumulata aliquoties deprehendimus. Quotiescunque vero rationem ejus rei reddere tenemur, non existimandum, quasi genus ad ipsos, qui primi ita dicti, referant, (nam sola nominis similitudo ad confirmandam alicujus originem non sufficit vid. l. 38. §. 5. ff. ad municip. & de incolis) neq; quasi virtute ac moribus ipsis fuerint similes, sed secure affirmare possumus, ipsos honoris & ominis gratia eaque mente, ut tales esse viderentur, eorum in se derivasse nomina. Sic



*Justinianus* Imperator in Proœmio *Inst. & Præfat. Digestorum*, appellatur *Augustus, Pius, Flavius &c. Augustus*, ab Octavio, utpote qui fundamentum Imperatoriæ jecerat potestatis, *Pius*, ab *Antonio Pio* ut ipse fatetur in *Nov. 78 c. ult. Flavius* ut notam Flavianæ gentis gestaret, cum quippe sub duobus Vespasianis tanquam præcipuis ejus familiæ ornamentis, Flavianæ gens & nomen maximè inclaruerat. Quæ ratio sane probabilior esse videtur, quam cum *Glossa ad Inscript. ff.* vel cum aliis recentioribus *vide Ungep. Ex. 1. Q. 3.* ineptire, & Justiniano rubram affingere barbam.

## OBSERVATIO II.

**R**aro eminentes Viri non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam usi, inquit *Vell. Patercul. lib. 2.* raro certè: magna enim magnis egent adjutoribus, & sine illis non possunt expidiri. Quid majus esse potest quam Imperii cura? quid difficilius Imperatoris officio? *cujus vigilia* (ut cum *Seneca* loquar. in *Consol. ad Polyb. c. 26.*) *omnium domos defendit, labor omnium otium, industria omnium delicias, occupatio omnium vacationem.* Et quis recensere valet omnes imperantium curas, ac difficultates; quas si perpenderit, non immeritò cum *Poëta* dixeris: Quis tot sustineat, quis tanta negotia solus? Adjutoribus itaque opus est, & prudenter faciunt Principes, qui quosdam in ministerium adhibent, prudentissimè autem illi, qui tales, quorum consiliis in deliberando, & operâ in rebus gerendis uti possunt. Si in serie Imperatorum Romanorum hoc repetere liceret, nescio an vix unus extiterit Principum, qui non viros dignitate illustres & prudentia conspicuos sibi asciverit. Longum equidem esset, omnium hic mentionem facere, & penè supervacaneum eminentium ingeniorum notare tempora; ne tamen sine exemplo hæc dixisse videar, ex prioribus duos Imperatores *Augustum* scilicet & *Tiberium* in scenam producam. Quem vero fugit, quanta in gratia apud *Augustum* fuerint *Mœcenas* & *Agrippa*? *vid. Vell. Part. lib. 2.* utpote cum quibus de omnibus arcanis communicare solebat, *vid. Dion. Cass. l. 52. p. 464.* quem latet, quam egregiam operam ipsi in administratione provinciarum præstiterint, & quam saluberrimis semper ipsi succurrerint consiliis? quæ omnia, quo notiora eo minus nostro egent stylo. Successit ipsi in Imperio, non in virtutibus *Tiberius*, moribus etsi dissimilis, in hoc tamen simillimus, quod non suo solo arbitrio ac remigio

Rem-



Rempublicam gesserit, sed tales, qui fidei & curæ Imperii fuere capacissimi, in societatem adhibuerit. Inter omnes ipsius familiares autem principem occupavit locum *Sejanus*, quem ut *Vellejus Patercul. lib. 2. hist.* refert singularem principum onerum adiutorem in omnia habuit, virum quem principe equestris ordinis patre natum memorat, cujusque virtutes ac mores idem *Vellej.* vivis depingit coloribus. Verum enim vero prudenter eos fecisse asseruimus, asserti itaque & rationem reddere erit necesse. De *Augusto* si quæsieris, cur tantopere *Mæcenatem* curarit atque *Agrippam*; *Tiberius Sejanum*, non incongruum erit, si ob eorum illustres natales, quos prudentiâ & peritiâ eò reddidere illustriores, maximè hoc factum esse, dixero. Tales namque adhibere Reipubl socios, & utilitas svadebat, & summa necessitas jubebat. Etenim, cum in populari administratione urbs amplissima ceperat incrementa, maximeque potentia civium creverat; hi cum animis moderari nescirent, quilibet potentiorum fere privatum magis quam publicum spectare, & majores cœpit aspirare opes. Præcipui in excidio libertatis Romanæ fuere, *Pompejus*, *Crassus*, & *Cæsar*. Quorum *Crassus* genere, divitiis & dignitate florebat, *Cæsar* prudentia & Consulatu allevabatur, *Pompejus* tamen super utrumque eminebat. *Pompejus* itaque dum potentiam retinere, *Crassus* augere, *Cæsar* vero sibi comparare studeret, mutuis se excidiis extinxere, *Cæsar* solo superstite, qui si animis civium indulgere scivisset, sine dubio in longiores Imperium extendisset annos. Advertebat autem successor ipsius *Octavius* in *Pompejo* & *Crasso*, quod parum in obtinendo Imperio viribus profecerant; intelligebat, *Pompejo* maximam invidiam movisse, quod solus omnium rerum arbitrium sumserat; sentiebat in *Patre Julio Cæsare* errorem, quod fortuna uti nesciens, prosperitate nimis elatus benevolentiam potentiorum neglexerat. Horum itaque ex periculo exemplum sumens, sibi quod ex usu erat, sciebat; Iccirco non armis & viribus, sed ingenio vincere studebat; quamvis primus in Republica, non tamen solus esse cupiebat, sed adhibendo *Mæcenatem* & *Agrippam*, præcipuos è primariâ Romanâ dignitate viros socios, eo ipso non solum invidiam à se avertebat, sed & eorum, qui idem fastigium appetere, & ad imperium non impares erant, animos mollebat, quos &, si quæ nova molirentur, eò facilius in officio poterat retinere. Et idem quoque animus *Tiberio* fuisse creditur in adjudendo sibi *Sejano*. *Tiberius* enim, prout in explorandis & judicandis ingeniis  
non

non erat lævus, ita statim quid de *Sejano* sperare, sibi que promittere posset, facile colligebat. Advertebat in ipso, summum spiritum respondere excellentiæ generis, videbat, compagem corporis sufficere vigori mentis, intelligebat propensionem animi ad Imperium, callebat mores ejus ad tale quid tentandum & efficiendum quam aptissimos; quocirca hæc sibi proponens; sollicitus erat, quâ ratione posset cavere, ne *Sejanus* suis adversaretur rationibus. Tutissimum autem judicabat, illum in familia suâ fovere, quam extra illam diutius timere. Et quanquam non talem, qualem optabat, in *Sejano* habuerit *Tiberius*, Ministrum sc. fidelem, utpote qui consilio ac prudentia melior erat quam fide, attamen cum & *Tiberius* callidus erat simulandi artifex, & ipse scenam coactæ frontis bene ferre sciebat, ejus machinationibus eò facilius poterat resistere, quo melius ac penitus familiaris sui actiones introspicere, nec eorum quæ moliebatur, quicquam ipsum facile poterat latere. Et hanc viam in eligendis potentioribus ac præstantissimis ministris, sequentes ab ipsis Imperatores prudentiores, quamdiu necessitas Reipublicæ jubebat, iniere semper, suamq; hæc ratione potentiam non parum promovere. Postea vero successu temporis, cum jam radices egerat Imperatoria potestas, non æque in illustribus quam industriis & doctis regni sociis eligendis fuere solliciti; judicantes optimum quemq; esse nobilissimum, eique plurimum tribuendum, cui virtus inesset. Qui enim cum ipsis pro toto terrarum orbe, die nocteque consiliis laborant, hos dignam sua prærogativa fortunam habere debere voluerunt, vid. leg. ult. Cod. de quadrienn. præscript. Icciro quam plurimi fuere orti humili loco & ignotâ origine, quibus novitas familiæ non obstitit, quo minus ad summum dignitatis & gratiæ culmen progressi fuerint. Exempli loco sit *Ulpianus* quem obscuræ fuisse originis testatur *Schönborn in Polit. l. 3 c. 47.* quem tamen summis muneribus præfuisse accepimus. Initio quippe *Alexandro Sev.* à consiliis, mox Magister Scrinii, tandemque præfectus fuit prætorio; & quantâ apud illum in gratiâ fuerit, ex his ipsi concessis muneribus satis liquet; idque non obscure quoque colligendum ex l. 4. C. de contr. stip. ubi eum amicum, ex l. 4. C. de locat. Cond. in quâ eum patrem suum appellat, Nec minori gratia *idem Severus* complexus *Citum Paulum*, quem inter exordia patriæ reddidit, & eo ipso, (inquit *Aurel. Vict. de Cæs.*) quantus erga optimos esset, edocuit. Hos & alios quorum viginti fuere & quorum nomina recenset *Ælius Lamprid. in vit. Alex. Sev.* in consilium ad-

adhibuit semper, nec sine eorum consilio quicquam decernere voluit  
*id. ib.* Quod si me vellem remittere ad priores Imperatores, idem ipsos  
habuisse institutum, manifestum possem reddere. *vid. interim Georg.  
Eberlin. de O. J. c. 42. & seqq.* Ex multis ut paucos afferam, primum  
omnium appello felicissimum Imperatorem *Ulpium Trajanum*, qui tam  
familiarissimè usus est *Neratio Prisco ICTo*, ut ipso in consulto nihil un-  
quam vel attentârit vel constituerit in Republica. Refert *Spartianus in  
vita Adriani* apud Romanos, *Traiano* mortuo, frequentem fuisse opi-  
nionem, ipsum non *Adrianum*, sed *Neratium ICTum* reliquisse succes-  
sorem, utpote cui aliquando dixerat: *Commendo tibi provincias, siquid  
mibi fatale contigerit. vid. Spart. p. 21. invit. Adr. &c.* Et ut tandem,  
quid mentis Imperatoribus in eligendis hisce doctis & industriis viris  
fuerit, afferam, satis quidem esset si dicerem, eos quam utilissimos esse  
gubernantibus, qui ex ipsa arte artem Reipubl. administrandæ didicere,  
adeoque Principes tales sibi adjungentes omnium calculis prudentes dici  
mereri; attamen si statum Reipubl. tibi proposueris, magis magisq; eorum  
inclarescit prudentia. Supra jam attigimus, ac apertum fecimus, necessi-  
tatem Reipubl. maximè svasisse, quod Imperatores sibi viros & ope &  
dignitate valentes adjunxerint, eo tamen ipso non negavimus cum aliquo  
quodammodo periculo conjunctum fuisse tales fovere Ministros. Hinc  
quamvis initio imperii ipsos retinuerint, nihil tamen prius atque anti-  
quius habuere, quam eorum potentiam labefactare ac infirmare; quo circa  
& paucos ex flore antiqui Senatorii ordinis, & equestris dignitatis seculo  
zdo superfuisse, contendunt autores. *vid. Lips. in Rom. Illustr.* Remotis  
itaque è primariâ dignitate viris, cum tamen ministris indigerent, non  
meliores quam doctos poterant legere Imperatores; utpote à quibus  
nullum ipsis imminebat discrimen, cum scilicet illi in omnibus se volun-  
tati Imperatorum tanquam fortunæ suæ autorum submitterent, nihilque  
magis studerent singuli, quam saluberrimis suppeditandis consiliis in Im-  
peratorum se insinuare gratiam. Accedebat, quod cum sensim omnem  
potestatem Legum ferendarum, ac judiciorum ad se traherent, non  
meliolem quis operam navare poterat quam ICTi, quibus potissimum  
utebantur, ut quicquid agerent, justum æquumque esse, populo persvade-  
rent, (*quod exemplo Papiniani quodammodo clarescit, à quo Caracalla  
postulabat, ut nefandissimum Getae fratricidium excusaret*) Quam  
prompti interim illi fuerint in præstandis suis officiis Imperatoribus,  
B ipso-



ipsorum industria quam in LL. Romanis probarunt, satis superque loquitur. Vix enim Imperatores aliquid vel secum animo meditati, vel etiam rescripserunt, cum illi ipsis præsto erant, & idem vel in libros referabant, vel coràm populo proponerant ac persvadebant, quod passim in *Legib. Rom.* advertere licet.

### OBSERVATIO III.

Quando Imperator Justinianus potestatem, qua in Imperio Romano gaudet, stabilire vult, semper fere ad *Legem Regiam* provocat. vid. §. 6. *Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civil. it. §. 7. l. 1. Cod. de vet. Jure enucleando* (in qua in Grammaticorum obsoleta vocabula & *ἡγεμονία* sibi jus ex *Lege Regia* esse contendit). Quod dum sæpius factum, merito credimus, non leve aliquod suæ potestatis momentum in illa posuisse Imperatores, quocirca & operæpretium me facturum putavi, si quædam de illa in medium attulero. Est vero de illa *Lege Regia*, inter Interpretes regius ac egregius dissensus, tantus scilicet, ut qui omnium rationes & momenta referre velit, latis se sibi sumsisse laboris experiretur. Antequam vero ad diversas eorum delibandas opiniones descendam, in antecessum afferendum erit, quid tandem sit illa *Lex Regia*? Est vero (quemadmodum ipse tradit Imperator) *Lex Regia, qua de Imperio Principis lata est, qua populus Ei, & in Eum omne suum imperium & potestatem contulit* vid. *princ. l. 1. ff. de Const. Princip. it. §. 6. Inst. de Jure Nat. Gent. & Civ. Sc.* Controvertunt acerrimè tam Icti quam Politici, an ejusmodi lex unquam lata, vel si lata, quo maximè tempore id factum sit? Sunt quidam, qui *Legem Regiam* purum putum signum esse venditant, affirmantes ejusmodi de Potestate Principum numquam latam esse Legem, inter quos præcipuus est *Martin. Schokius in Tract. de Quadrup. Lege Regia Sect. 3.* cujus rationes ibi videre licet. Alii & quorum quidem major numerus est, agnoscunt veritatem *Legis Regia*, & moventur tum *Legibus* modo citatis, aliisq; quas huc trahunt v. g. *l. 3. C. de Test. & quemadm. test. ord. l. un. §. 14. C. de Caduc. toll. l. 14. ff. de Manum. l. 2. §. 2. de O. 7.* tum præcipuè autoritate *Dionis Cassii* qui *lib. 53. Hist. p. 509.* dicit: *Legibus soluti sunt Imperatores, ὡς αὐτὰ τὰ λατινικὰ ῥήματα λέγει.* Ex quibus ultimis verbis peculiari aliqua lege potestatem Imperatoribus attributam esse colligunt, eoque magis in hâc sententiâ confirmantur, quo certiores sunt de monumento

ali-

aliquo hujus Legis superstite. Est enim fragmentum aliquod hujus Legis conspicuum Romæ in Capitolio æneæ tabulæ incisum (non marmoreæ ut Bodinus vult quem Eccardus ex l. 8. ff. ad L. Jul. pecul. & Plin. lib. 34. c. 9. convincit) quod à Justo Eccardo in Tract. cujus Tit. Nova & Vera Explicatio Quest. de Leg. Reg. citatum p. 28. 29. & 30. invenies. Hi quanquam uno ore ejusmodi Legem Imperatoribus datam fateantur, in eo tamen non conveniunt, quo tempore & sub quonam lata sit Principe. Ex iis est summus Hotomannus, qui in *Indice Legum Romanarum* eam legem ad prima urbis tempora refert, motus verbis *Lucii Valerii* qui apud *Liv. l. 34. ita* loquens inducitur, *Vetus* inquit *Lex Regia simul cum ipsa urbe nata.* Henricus Bernhard in *Princip. Roman.* nihil aliud esse statuit quam unam ex antiquis 12. Tabularum legibus, cum quo facere videtur ille, à quo suam sententiam vindicavit Eccardus, qui cum ejusmodi homine sibi negotium esse dicit p. 8. Sed ut in transcurso quid illis respondendum sit, dicam, ille, Hotomannus scil. mihi errare (sit venia verbo) inductus fuisse videtur æquivocatione vocis *Legis Regiæ*, quæ sæpe numero in Legibus occurrit, non tamen semper de illa lege, quæ κατ' ἐξοχήν *Regia* dicitur accipitur. Sic in l. 2. ff. d. mort. infer. fit mentio *Legis Regiæ*, quæ vetat, quo minus mulier mortua, quæ prægnans est sepeliatur. Quis vero diceret hanc esse Legem illam, quæ Imperatorum concernit potestatem? Per *Legem Regiam* intelliguntur sæpe illæ Leges initio Reipublicæ à Regibus latæ, quæ postmodum exactis Regibus in desuetudinem abiire vid. l. 2. §. 3. ff. de Orig. Jur. in quibus colligendis operam suam præstitit *Papirius* ut refert *Pompon. in l. 2. §. 2. & §. 36. de Orig. Jur.* & quas ab interitu nobis vidicarunt antiquitatum studiosissimi *Lipsius & Dempsterus*, ex quo nonnullas excerptas in *Antiquit. Rom. recitat Hildebrand. p. m. 265.* Hic vero nempe *Henricus Bernhard.* cum iisdem ferè utatur argumentis, quibus *adversarius Eccardi*, ejus responsionibus repetendis supersedebo, ne actum videar agere. Et ut ad rem, unde diversæ hæ opiniones me deduxerunt, redeam, & aliorum de tempore latæ Legis Reg. sententias recensabo. *Mynsingerus in Comm. ad §. 6. Instit. de Jure N. G. & C.* Monarchiæ Romanæ funditori *Julio Casari* hanc legem assignat. Alii ut *Bachovius ad τὴν πρῶτην p. 41. Augusto*, alii *Tiberio*, alii *Vespasiano* Legem Regiam datam suspicantur. Verum enim vero cum suspicari proclive, rem vero certò scire difficile sit, id circò in hac controversia probabiliorem eligere



sententiam, est tutissimum. Hanc vero amplexum doctissimum *Bachovium*, judicant quam plurimi, quem eo libentius sequuntur, quo magis persuasi sunt, huic sententiæ & Legem & historicum patrocinari. Præcipuum fundamentum ponunt in *Dione Cassio qui lib 53. p. 507. ad Augustum omne populi Senatusque Imperium rediisse* asserit, & mox pag. sequenti 508. hæc subjungit verba: *Aliud porro quoddam jus habent nulli unquam Romano aperte & in omnibus concessum, Legibus enim soluti sunt Imperatores.* Ignoscant autem si dixerò, me hisce Dionis verbis ad subscribendum ipsorum sententiæ non posse induci, maximè cum sciam, ita *Dionem* rem tradidisse, quemadmodum fama accipere potuit. Fuit enim historicus Seculi 3<sup>tii</sup> qui nobis historiam suam prout ab aliis accepit, ut testatur *Leunclavius in vit. Dion. reliquit*, ipsemet vero à tempore *Commodi* res gestas sui temporis notavit *vid. lib. 72. p. 818.* Et quamvis *Leunclavius* *Dionem* res suas ex fide dignis autoribus depromsisse asserat, vix tamen in hoc fidem ejus assero habemus, præcipue cum nemo historicorum *Dionem* suo adjuvet suffragio. Vel etiam si quisquam id faceret, *Dio* de illis pro me iudicium fert: *Tempore (inquit) immutata Reipublica plerumque occultè agi cæperunt, & parum fidei narratio historicorum invenit, quinimo siquid aperte ac publicè ageretur, tamen ei quoque non multum certitudinis, rei quippe non satis explorata tribuitur. Est enim suspicio, omnia dici agique ad arbitrium Imperatorum, eorumque qui horum sunt potentia comites vid. Dion. lib. 53. p. 509.* Parum itaque *Dio* ipsis, & parum *Dioni* autoritas historicorum patrocinatur; qui si hanc rem fama accepit, id non miramur, quippe Principibus nunquam defuere idonei autores, qui ea, quæ Principum rationibus utilia judicabant, evulgare studebant; præterea quoque scias famam adversus nos infirmissimum esse telum. Ne vero autoritatem *Dionis* destruere videar, hæc me dixisse non deduxisse sufficiat. Interim cum sciam maximum pondus in *Dionis* verbis ab ipsis poni, iustrabo, quanto illis hæc possint esse præsidio. Priora quod attinet, nescio an aliquid ad confirmandam eorum sententiam conferant, ut potius si ad antecedentia verba oculos remittimus, aliud sentire svadeant. Dicitur quippe nihil aliud, quam ad Augustum omne populi Senatusque Imperium pervenisse, in quibus verbis nulla Legis Regiæ fit mentio, multo minus quod *ista Lege Reg.* potestas in Imperatores sit translata. Si vero *Dionem* consulueris, quibus modis

eam

eam sibi *Augustus* acquisiverit potestatem, ex antecedentibus præcipuè ex Augusti oratione de deponendo Imperio ad populum habita id depromere potes, in qua artes Imperatoris quasi in speculo ostendit. Quod ad posteriora; cuius cui non mens læva est, apparet, quid loquatur Dion. Vim inferunt Dioni, qui ejus verba ad Augustum referunt, cum ille statum sui temporis in illis verbis exponat, ac de eo tempore verba intellecta velit. Quinimo si & liberaliter cum ipsis agere vellem, & dicta verba ad Augustum referre, quomodo cum *Dione* transigent qui potestatem illam qua Imperatores utuntur nulli unquam aperte concessam esse dicit. Nequaquam itaque quod volunt hocce Dionis testimonio evincunt, utpote qui ipsis plane non succurrit. Et æque stabile est fundamentum legis 14. ff. de Manum. in qua Lex illa qua Princeps Legum solennibus est solutus, dicitur *Lex Augusti*. Quis enim non dubitaret, an per *Augustum* ibi præcisè *Octavius* indigitetur? cum & alii Imperatores idem gesserint nomen. Deinde quis non ambigeret an per legem Augusti intelligatur Lex Augusto lata, an alia aliqua ab Augusto de manumissione lata, præcipuè cum id fere credere svadeat *Dio lib. 55. p. 557.* Verum enim vero, ut tandem, omnium fere diversis sententiis rejectis, quid de Lege R. sentiam, aperiam, ita concludo: populum Rom. magnam quidem Augusto indulsisse potestatem, nunquam tamen illam, qua ipse & sequentes Imperatores usi, ipsis concessisse, sed ipsos variis artibus eam sibi conciliasse, ac postea memoriâ pristinæ libertatis in animis civium jam obsoletâ, legem de illa potestate vel ferri curâsse, vel etiam illam supposuisse. Quod ita asserere maxime svadet, quod historici ejus ætatis quantum memini nullam planè ejusmodi delatæ potestatis mentionem faciant, (*quos tam manifestam Reipubl. mutationem referre prætermisisse, non facile dixerim, ne ipsos negligentia incusare videar*) quam læpissime autem quod omnem imperii potestatem artibus sensim sensimque in se derivârint. Et in hoc ipsos prudentium Imperatorum officio functos, dum non uno impetu omnem ad se rapuere potestatem, adeoque & hanc de Leg. R. Observationem inter ipsorum prudentiæ specimina sibi locum vindicare, nemo facile negabit. Interim quo tempore, & quis Imperatorum primus sibi de acquisita potestate legem vel ferri curârit, vel etiam supposuerit, de iis nihil certi affirmamus, neq; enim in re cujus historia nos latet, cum *Corasio* ignoratiam fateri erubescimus.

## OBSERVATIO IV.

**S**enatus Consultorum mentionem sæpe fieri in LL. Rom. imo integros  
 de illis extare titulos inspicientibus easdem patet. De illis non multum  
 dicemus, nec eorum explicationem suscipiemus, maximè cum id extra  
 propositi nostri rationem, & aliis relinquendum sit; quatenus tamen  
 materia SCtorum Observationem suppeditat, eatenus in præsentiarum  
 nobis inserviet. Quod si vero eorum originem paulo altius repetimus,  
 prehendimus Senatus Consulta jam Romuli tempore sua initia cepisse  
*vid. Svet. cap. 5. in Vesp.* ex illorum autem numero non esse illa, quæ  
 nobis supersunt, extra dubium est, præcipuè cum illa in statu Monar-  
 chico lata esse, probare, imo & Imperatores, sub quibus quælibet lata, ferè  
 nominare possimus. Hoc vero dum asserimus, occurritur nobis à doctis,  
 qui hoc assertum periculosum judicant & dubitant quomodo Senatus  
 legum ferendarum potestatem habere potuerit, cum populari imperio ab-  
 rogato, potestas non ad Senatum sed ad imperatores pervenerit, jam  
 vero Imperatoribus summam concedere potestatem, & Senatui jus feren-  
 darum Legum attribuere, esse principiis Politicis & rationi contrarium.  
 Et quamvis nos hæc affirmantes nostræ sententiæ patrocinium quærimus  
 in autoritate *Ulpiani qui non ambigendum esse inquit, Senatum jus  
 facere posse vid. l. 9. ff. de LL.* etiam provocemus ad *Tribonianum, qui  
 §. 5. Inst. de Jur. N. G. & C.* dicit. *Senatus consultum est id quod Senatus  
 jubet atque constituit. Nam cum populus esset auctus in eum modum,  
 ut difficile esset in unum eum convocari legis sancienda causa: equum  
 visum est, Senatum vice populi consuli;* non tamen ipsis dæest quod contra  
 eorum autoritatem excipiant. Dicunt quippe & *Ulpianum & Tribonia-  
 num deceptos esse l. 2. ff. de Orig. J.* cuius legis an Pomponius autor sit dubi-  
 tant, vel si sit, ipsum in veritatem historiæ peccare, (quod ipsi quandoque  
 familiare esse notat *Bachov. ad w. g. tit. 2. ff. d. O J. & Lips. in Rom. Illust.*)  
 contendunt. At enim vero & autoritatem Pomponii tueri, & nostram asser-  
 tionem retinere, & ipsis satisfacere edoctus sum ab Excell. Dn. Præsidente; qui  
 pro more suo i. e. ingeniose hunc modum solvit & arcanum aliquod Impe-  
 ratorum hic advertit. Hi scilicet cum suam potentiam magis magisque  
 confirmare volebant, in id toti erant intenti, ut populum, penes quem per  
 omne tempus, quo Reges exacti, maxima in Republica fuerat potestas,  
 infringere ac labefactarent. Ejus rei perficendæ ergo, ut varias  
 sem-



semper iniere rationes, ita in iis prudentissimum semper rati, quod tutis-  
simum. Cum itaque potestatem quam populus in LL. ferendis habebat,  
ad se transferre studebant, minus securè judicabant, hoc uno ictu ac  
impetu facere. Prætextum igitur aliquem quærebant, eundem quem  
*Pompon. l. 3. §. 9. ff. de O. J.* refert, quo hoc possent efficere. Persua-  
debant quippe populo, difficile ac incommodum esse multitudini, eam  
toties in tanta hominum turbâ convenire. Sublevari eos posse tanto  
onere, si istarum rerum arbitrium Senatui (at quantæ prudentiæ &  
dexteritatis collegio) ex primariâ Romanorum Nobilitate collecto, totum  
transcriberent. Quod populus, dum hæc sua causa fieri, ac Imperatores  
de eorum commodis agere crederet, facilè concedebat; quo ipso non  
solum populo omnem sensim eripiebant potestatem Imperatores, sed  
& Senatum, qui ingens in se collatum beneficium judicabat, seque ad  
pristinam auctoritatem redituro sperabat, inescabant, & alliciebant;  
hoc enim dum ipsis concesserunt, si quando ipsi quædam expetebant, non  
solum hæc, sed etiam majora permittebat. Quam obrem, si quid secum  
animo constituerant Principes, ea Orationibus apud Senatum propo-  
nebant, securi omnino & certi de Senatorum consensu, utpote quos sibi  
hoc & aliis beneficiis devinxerant, & plerumque ad voluntatem suam  
reddiderant aptissimos *vid. Dion. lib. 53. p. 497.* quique Imperatorum pla-  
citis apertè refragari, nefas judicabant. Hinc etiam fit, ut quæ in Jure  
nostro uno loco SCtis tribuuntur, *ut. l. 23. ff. §. 2. de Cond. indeb.* ea alibi  
Principum Orationibus adscribantur *vid. l. 8. in pr. ff. de Transact. l. 1.  
ff. de Reb. eorum qui sub tutela Sc.* Et ita rem esse non per ancipites  
conjecturas colligo, sed ex *Tacito Svetonio* & aliis edoctus sum. Au-  
diamus *Tacitum* qui idem mecum asserit: *Lib. 1. Annal. Tiberium  
populari imperio infensum fuisse dicit, eumque omnia populi jura  
sustulisse contra Senatus insigniter auxisse, ad quem omnia ac singula  
revocasse affirmat, ne vim Principatus resolveret ibid. lib. 1. Annal.  
Sveton. in Tib. c. 30.* ex quibus ultimis verbis apparet eum nequaquam  
potentia aliqua armare voluisse Senatum, sed eo consilio fecisse, quod  
expeditissimam hanc judicaverit viam absoluti dominatus jura occupandi.  
Et ita quoque *Svetonius*: qui Tiberium Senatus potentiam augendo, suæ  
inservire maxime curasse asserit *in ipsius vit. c. 30.* Non itaque *Pomponius*  
incusandus sed excusandus, utpote qui Senatus Consultis non aliam  
assignare potuit rationem, quam qualem ipsi Principes prætendebant.

Ve-

Veram enim si manifestasset rationem, arcana eorum detexisset, quod tamen non nisi summa cum offensa Principum fieri potuisset.

### OBSERVATIO V.

**L**Eges nec facile, nec una vice, sed summa cum cautione in Republ. mutandas, tradunt ac uno ore loquuntur Politici, cum hoc pacto non solum vis Legis infirmetur *Arist. lib. 2. Pol. c. 8.* Sed periculum quoque sit, ne cum temeraria Legum vel abrogatione, vel intempestiva correctione ipsa Respublica corruat ac detrimentum capiat. Sæpe memoratur *Charondas* vel quisquis tandem alius sit (*Zaleuco* enim hoc tribuit *Demosth. in Orat. adv. Timocrat.*) ob inusitatum de Legum correctione Statutum. Etenim (ut autor est *Diod. Sicul. lib. 1. Biblioth. c. 17.*) fancivit ut qui in Republica populo novarum legum autor esse vellet, is in foro de illis, gutture laqueo circumducto, verba faceret, & ex populi votis secundis vel applausum exspectaret, vel adversis mortem metueret. Qua memorabili sanctione *Thurios* à levissimâ Legum mutatione abstertere voluit. Et ut ad Romanos veniamus & ipsos hoc arcanum calluisse, observavimus. Apud *Dionem Cass. l. 53. Hist. p. 501. infine.* ad Senatum ita verba facit Augustus: *Leges firmiter retinete, neque quicquam in his mutare; Nam quæ eadem semper manent, etsi sint non nihil vitiosa, utiliora tamen sunt his quæ subinde, etiamsi in melius, innovantur. Et l. 2. ff. de Constit. Princip. idem commendat Ulpian. In rebus inquit novis constituendis evidens esse debet utilitas, ut recedatur ab eo jure quod diu æquum visum est.* Et ita est, quemadmodum *Ulpianus in d. l.* dicit: *Leges æquitate metiendas, & non facile nisi ex Reipubl. utilitate mutandas.* Non enim Antiquitas iniquitati patrocinari, nec vetustas utilitati obstare debet, modo tamen caute omnis fiat mutatio. Cautè autem & prudenter Leges mutasse Imperatores Rom. in quibusdam exemplis quæ ex *Excell. Domini Præsidis eruditis mecum communicatis Manuscriptis hausi*, manifestum reddere laborabo. Erat apud Romanos tale Jus *Patr. Pot.* quod Parentibus omnem in liberos permittebat potestatem, ut pro suo arbitrio quicquid vellent, cum ipsis agere possent. Acceperant id jam à *Romulo*, qui ita legem aliquam fancivit: *In Liberos suprema Parentum autoritas esto, venundare, occidere licito vid.* *Briss. in LL. Reg. Quod in LL. 12. Tabul. repetitum, uti videre est apud Jacob. Gothofredum qui XII. Tab. collegit. In Tab. namque 4ta hæc*  
Lex

Lex extat. In Liberos ex justis nuptiis quasitas Patri Jus vita & necis  
vendendique eos potestas esto. Et hoc est jus illud, quod solis Romanis  
proprium esse non semel inculcatur vid. interim §. 2. Inst. de PP. § l. 3.  
ff. d. his qui ff. sui vel alien. Jur. Quod an facere necesse fuerit, haud scio,  
cum moratiores gentes sua sponte illo abstinuerint, & merito semper  
dubitarint illud in se transferre, ne ob immane jus infame cru-  
delitatis post se relinquerent nomen. Hanc severitatem imo sævitiam  
Reipubl. summopere noxiam, dum abrogatam, ac leges de illa elimi-  
natas cupiebant moratiores Principes, judicantes P. P. non in atrocitate  
sed pietate consistere debere vid. l. 5. ff. ad Leg. Pomp. de Parr. animo  
secum meditabantur, qua ratione id fieri posset quam commodissime. Ad-  
vertebant istud jus firmiter radicatum, intelligebant, patres ægrè de hac  
aliquid remissuros potestate; rem itaq; sic temperabant, ut eam quidem  
è Reipubl. eliminarent, & tamen parentibus suam potestatem integram  
relinquere viderentur. Quo circa initio si quando liberi peccassent, solius  
causæ cognitionem ad se trahebant, relictâ interim Parentibus facultate,  
ut Judici quam vellent latam, præscriberent sententiam. Et huc respexit  
Imper. Alex. Sev. quando in l. 3. C. de P P. Artemidoro hunc in modum  
rescripsit: Si filius tuus in potestate tua est, res acquisitas tibi alie-  
nare non potuit. Quem, si pietatem patri debitam non agnoscit,  
castigare jure patriæ potestatis non probiberis: acriore remedio  
usurus, si in pari contumacia perseveraverit; eumque Præsidi pro-  
vincia oblaturus dicturo sententiam, quam tu quoque dici volueris.  
Cui suffragatur ICt. Paul. l. 2. ff. ad Leg. Corn. de Sicariis, ubi: Inaudi-  
tum (inquit) filium pater occidere non potest, sed accusare eum apud  
Præfectum Præsidemve Provinciae debet. Et hoc occulto consilio, cum  
se Imperatores à mutatione & abrogatione ipsorum in Liberos potestatis  
alienos simularent, ipsisque omnem fere relinquerent potestatem, non  
parum illam infregerunt. Mox enim Constantinus jam severius cum iis,  
qui liberos propria autoritate occidissent, egit, ipsosque legi Pompeje,  
ejusque pœnæ subjectos esse voluit vid. l. un. C. Theod. de Paric. § l. un.  
C. Just. de his qui Parentes vel liberos occiderunt. Tandem illud jus  
penitus abrogatum, scœpiusque constitutum, ne Potestas Parentum in  
immensum extenderetur; sed Liberi, si factorum atrocitas Jus domesticae  
emendationis forte excesserit, Judicium notioni dederentur, quæ verba  
sunt l. un. C. de Emend. Propinq. Et æquè immane erat Jus Dominorum

C

quod



quod exercebant in servos, quos pro arbitrio cruciare, occidere licebat. Horresco, quoties recordor eorum crudelitatem. Quid enim immanius esse potest ipsorum ludis gladiatoriiis, in quibus ad voluptatem ad lasciviam innumeræ servorum myriades absumptæ? Quid funestius *SCro Syllaniano*, juxta quod ut *Tacit. refert. lib. 14. Annal.* præfecto urbis domi suæ interfecto, quadringenti servi, quorum, ut ipse scribit, non dubia innocentia erat, sine sexûs aut ætatis discrimine ad supplicium ducti? Quid crudelius exemplo *Pollionis* liberti, qui murenas, quas in piscinis alebat, servorum carnibus pascebat. *Dio. Cass. l. 54. hist. non long. ant. fin. Sen. lib. 3. de Ira c. 40.* Hanc crudelitatem dominis indulgere, illamque diutius in Republ. tolerare dum iniquum judicabant Principes, animum applicabant, ut hanc immanitatem tollerent, & servis de dominorum scœvitia prospicerent. Cujus rei gratia Imperator *Antoninus* prudentissimum hoc iniit consilium. Scilicet proponebat Dominis apud animum, in quanta acie res ipsorum versarentur & in quanto discrimine ipsorum vita constituta, si diutius hac uterentur potestate. Esse nullam majorem nequitiam quam servorum cujus tam funestissima aliquoties vidissent exempla; à servis ipsos nunquam fore securos; quorum malitiam si quando durius coërcerent, eos in simul ad vindictam proprio ausu de se sumendam invitarent. Securitati eorum non melius consuli posse, quam si permitterent, ut lege sancitâ, de delictis servorum apud Magistratum cognosceretur, tunc enim Servos metu pœnæ coerceri, & nec facile aliquid in caput Dominorum molituros, si legem malitiæ suæ vindicem constitutam scirent. Quæ omnia cum *Imperat. Anton.* ipsis peculiari Rescripto quam prudentissimè exprimeret quod *videre licet in §. 2. Inst. de his qui sunt sui vel alieni jur.* Dominos facile ad id per movebat; asserens enim ipsis omne jus salvum manere, seque Dominorum consulere securitati, non solum invidiam alicujus immutationis evitavit, sed & quod intendebat, *immanitatem sc. istam Dominorum in Servos tollere*, feliciter consecutus est.

#### OBSERVATIO VI.

**H**actenus me tenuit pacata illa & toga sua verè involuta prudentia Principum Romanorum, jam descendendum ad sagatos; quam erga illos adhibuerint, & an ejus vestigia quædam deprehendenda, sagiendum est. Scio enim Imperatores non leve aliquod momentum in militum operâ  
po-

posuisse; neque minus apertum est, illos quam plurimum contulisse ad Imperatorum potentiam acquirendam, stabiliendam & confirmandam. Ut taceam egregias eorum quas præstitere Imperatoribus operas, quæ quo plures eo selectu difficiliore sunt, unicum tantum dabo specimen. Cum *Octavius* consulatum peteret, & quadringentos, qui hunc ipsius nomine impetrarent e militia ad Senatum delegasset; Senatus vero honestam negandi excusationem semper prætenderet, unus eorum diuturnioris moræ & cunctationis impatiens, sumpto nudato gladio ad Senatum intravit, dicens: *Si vos Cesari consulatum non dabitur, hic (gladium vibrans) dabit.* vid. *Dion. Cass. lib. 46. hist. p. 319.* Hæc vero & alia ipsorum merita Imperatores dignis præmiis semper remunerare studuisse, certissimum & ex eo maximè colligendum est, *quod amplissimis eos semper ornârent, muneribus, ac multa in eorum constituerint favorem.* Utrumque dum confirmare volo, primum quod attinet, vix scio, an majus aliquod in milites ab Imperatoribus conferri potuerit beneficium, quam quod provincias jure belli subactas, tanquam colonias, in quibus laboribus fessi curare poterant cuticulam, ipsis concessere. Earum coloniarum varias causas quamquam afferant antiquitatum restauratores, vid. *Sigon. de Antiq. Jur. Ital. lib. 2. c. 2. & lib. 3. c. 4. it. Lips. in Rom. Illustr. de Colonis p. m. 252.* in eo uterque tamen mihi suffragatur, qui dixi maximum hoc militarium laborum fuisse præmium. Audiamus *Sigon. qui l. 3. c. 4. ita loquitur. De causa militarium coloniarum non est, cur admodum laboremus, nisi ab earum sententiarum auctoritate recedamus, quas paulo ante ex certis veterum monumentis attulimus. Deduci enim militares colonia iccirco sunt solita, ut veterani milites proeliorum diuturnitate fessi præmium aliquod aliquando caperent laborum suorum. H. I. Quod tam perspicuum esse asserit, lib. 2. c. 3. ut de eo non ambigendum sit.* Interim (ut obiter nosem) prudenter hoc omninò factum puto; quippe eo ipso non solum ductos hostes in officio continebant, quorum quasi custodes veterani constituti milites, qui, si quid novarum rerum molirentur, ipsis obsistere præsto erant, sed etiam alios in militiam invitabant. *Quis enim (inquit Lips. in Rom. Ill. p. m. 253.) non libens in eam militiam se impenderet, ubi & post eam tam magna & certa præmia sunt? Agri & sedes dabantur, regimen illic & honores, pecunia etiam, ad ea quibus opus cõmenda.* Alterum quod attinet, nempe in favorem militum plura ab Imperatoribus con-



stituta, in *LL. Rom.* quas si paulo accuratius & acutius inspicimus, deprehendimus. Maxime autem id puto clarescere in materia Testamentorum, in quibus singulari præ cæteris milites gaudent privilegio. In illis enim alias tam strictè omnes solennitates sunt observandæ, ut si una atq; altera earum omiſſa, vel forma in *Tit. Inst. de Test. ord. §. 1. 9. 12. & 21. Cod. de test. & quemad. ord.* præscripta, ad unguem & amissim non observata fuerit, Testamentum non valeat. Quo circa in illis ordinandis adeo diligens & exacta fuit veterum cautio, ut sine *ICto* vix quisquam testamentum facere auderet. *Svetonius in Nerone c. 32.* memorat apud Romanos studiosos Juris, (sic appellantur in *l. 1. de Off. ass. §. 4. ff. de extraord. cognit.*) scribere & dictitare solitos fuisse testamta. Quod nec obscure indicat *ICt. Sævol. in l. 88. §. ult. de leg. 2.* quem idcirco festive ludit *L. Crass. apud Cic. l. 2. de Orat.* Si (inquit) *nullum testamta erit rite factum, nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis venient, omnium testamta scribes unus.* Quinimo ipsi Imperatores exemplo suo ac idem faciendo, has observare docuerunt solennitates, ut qui in testamento imperfecto hæredes instituti juri suo renuntiarunt, nec quicquam ex illo capere voluerunt. *vid. rescript. Alex. Sev. in l. 3. C. de test. & quemad. ord. cui respondet ICt. Paulus in l. 23. ff. de leg. 3.* iisdem rationibus iisdem fere verbis. Omnibus hisce & singulis solennibus, ac cautione ab aliis observanda laxati sunt milites, quibus ex arbitrio & sola voluntate de rebus suis disponere integrum est. Si inquisiveris unde & à quonam hoc privilegium ipsis concessum, facile id cognosces *ex l. 1. ff. de test. mil.* difficilius autem, causam obquam ipsis hoc indultum, veram scil. in Legibus poteris reperire. Non quidem est hæc materia ex familia earum, ut ad *Leg. 20. ff. de LL.* recurramus, & ejus rationem dari non posse conqueramur, maxime cum aliqua in Jure suppeditetur; attamen illam veram & adæquatam esse vix affirmare confido. Simpliciter & imperitiam militibus hoc conciliasse privilegium dicitur. Ita enim in *L. 3. C. de test. mil.* loquitur *Antoninus: Militum testamta juris vinculis non subjiciuntur, ipsis enim propter simplicitatem militarem, quomodo volunt & quomodo possunt, testamta facere conceditur &c. vid. l. 1. ibid. §. 1. C. de jur. & fact. ign. l. 40. ff. de adm. tut.* Tantum autem abest, ut illam veram & Imperatoribus impulsivam causam fuisse agnoscam, ut potius credam, Imperatoribus in concedendo hoc privilegio nihil magis in animo fuisse, quam ut  
ani-

animos militum, quorum ut tempus ferebat, maxima in Republ. habebatur ratio, sibi devincirent & retinerent benevolos. Quid autem militibus gratius atque acceptius poterant largiri, quam si de illis, quæ magno vitæ discrimine & jactura acquisiverant, ipsis liberam disponendi relinquerent facultatem? Quid prudentius ab Imperatoribus fieri poterat, quam militum benevolentiam, quâ maximè Imperatoria stabat potentia, conservare? Et quid nostro asserto probabilius? utpote cui ratio temporis, Imperatorum animus, & ipsa patrocinator veritas.

### OBSERVATIO VII.

**D**Um in præcedenti observatione Imperatores multa in favorem militum concessisse, ipsosque in eo prudentium Imperatorum officio functos esse, asserui, *prævideo & mens jam præfagit, fore, qui parum prudenter ab Imperatoribus factum dixerint, quod militibus talem indulserint in rebus civilibus libertatem, ipsosque à Legum dispositione laxarint, qui suâ sponte ad omnem licentiam proni ac proclives; quibus consultius fuisset certâ repagula constituere, ne omnem legum vim ac vigorem possint ire pessundatum.* Ita certe est eorum plerumq; qui castra sequuntur ingenium, nec meliori fuisse Romanos apertum est. Neque diffiteor, non esse ad quietem vitæ civilis ingenia mavortia nimium invalescere, *quæ ut omnibus perspicuum est, ultra quam decet, efferuntur audacia; dicitur in Nov. 26. c. 1.* Parum itaq; salutare fuisset Reipublicæ, in immensum si extendissent favorem, & armatis majorem si dedissent licentiam Imperatores, nihil aliud fuisset, quam datâ operâ res suas in ancipitem conjicere aleam. Temperamento itaque omnino fuit opus. At ecce! quam caute id adhibuerint, & quam prudenter ipsis obviam iverint Imperatores. Cum forte in familiari colloquio aut convivio miles cuidam ex commilitonibus per jocum dixisset: *Ego te heredem facio, & bona mea tibi relinquo,* hic vero de voluntate testatoris non dubium esse sibi persuadens, hæreditatem ex privilegio militari sibi vindicare vellet, res tandem (orta de hæreditate lite) ad Imperatorem *Trajanum* delata, à quo ut tale valere pateretur testamentam, rogabat miles. *Trajanus* cum ejus petito, utpote quod iniquum, veniam dare nollet, ne tamen militum irritaret ac offenderet animos, pro more suo i. e. prudenter ita rem temperavit; rescribens *Statilio Severo*, ut voluntatem suam militibus exponeret, ipsisque apud animum proponeret, quam



male sibi tale quid petentes prospicerent. Nullius magis quam ipsorum interesse, ne tale admittatur exemplum: facile enim post mortem alicujus militis posse testes existere, qui affirmarent, se audivisse, morientes huic vel illi reliquisse sua bona, quo ipso non solum vera morientium judicia subverterentur, sed etiam qui verè heredes instituti, bonis privarentur sibi relictis. vid. l. 24. ff. de Testament. Militis. Et simili ratione, ac pari prudentia Imperatores Diocletianus & Max. ipsis obviam verè, à quibus cum peterent, ut sibi ex privilegio militari emptiones rite factas liceret rescindere, hi rescripserunt: *E re ipsorum esse militum, ut emptiones ritè factæ subsistant, cum alias non facile quis cum ipsis esset contracturus, vel si contraxerit eodem ipsum gaudere velle privilegio. vid. l. 7. Cod. de resc. vend.*

### CONCLUSIO.

**H**Æc habui, quæ de Prudentia Imperatorum Rom. dicere & quantum fieri potuit, ex ipsis LL. penetralibus pro ingenii captu eruere potui. Reliqua eaque cognitu dignissima aliis, qui universam Juris rationem diutius & exactius persecuti, investigare relinquens. Alius alio plura invenire potest, nemo omnia. Interim quæ observare licuit, liceat & asserere. Tu, benevole Lector, fave meis conatibus &

— *Si quid novisti rectius illis,  
Candidus imperti.* —

S. D. G.







St studii locuples tua *Dissertatio* testis;  
Discipuli testes sedulitatis erunt.  
At super omne bonum pietas tamen emi-  
net una:

Illius ergo Tibi præmia mille precor.

*Ita*

*Nobilissimo Dn. Respondenti suo per biennium  
domestico suavissimo animitus gratu-  
latur*

PRÆSES.

---

Jure rogas carmen, *CRAUSI*, dum *Præsides*  
*PAULI*,

Doctè de docto Themate verba facis.

Ille tuus Præses bis jam quoque carmine lusit,

Dum sub præfidiò disseruère meò:

Mutuus ardor agit, rursùs nunc versibus adsim,

Parque pari penssem, cunctaque fausta precer.

*Versibus paucis, at affectu prolixissimo Doctis.*

*& Nobilis. Disputationis Autori, Audi-*

*tori suo antè in Collegio Pandectarum*

*Disputatorio expeditissimo, Amico sua-*

*visimo de eruditionis specimine gratulans*

*volubilis fortune constantiam animitus*

*apprecatur*

JOHAN. Amsel / U. J. D.

& P. P.

ln-



**I**Nclyta dum scandes Venerandi Pulpita Juris,  
Sic tribuens Juri debita Jura tuo;  
Jus parat hæcce Tibi quæ debet jure, laborum  
Præmia, mox studiis contribuenda tuis.  
Nocturnâ versare manu versare diurnâ  
Jus perge, hoc Juri debita Jura feret.  
Pectore & ore precor, conscendas pulpita fauste,  
Et maneant temet, laus, honor atque Decus.

*Hæc Nobiliss. Domino Respondenti gratulabundus  
apposuit*

E. J. de WEDEL.

**T**Empus adest, quô poma rubent, quô fructibus arbor  
Nutat. Quæ bona sit, quæ mala fruge patet.  
Hinc, mala si sapidos nescit protrudere fructus,  
Arbor, quod, CRUSI, sis bona fruge patet  
Romulidum, monstras, quæ sit prudentia Regum,  
Hæc Cedrus, dives fruge vocandus eris.

*Hæc Nobilissimo Domino Autori, Amico  
honoratissimo gratulabundus  
apposuit*

G. F. RADZKI, L. L. Stud,

**V**Ota piis votis CRUSI mea jungo Parentis  
Quæ tamen haud Patris, sed mea suntque metro.  
Dum Tibi Romulidum celebris prudentia cordi est,  
Hinc Juris prudens jure vocandus eris.

*Ita*

*Nobilissimo DN. CRUSIO suo per biennium  
Ephorofidelissimo gratulatur*

THEOD. CHRISTIAN. PAULI,  
Regiom. Prussus.

os) o (so

00A 6297

ULB Halle

3

002 927 276




h + 56. f

VD 14

Repro







DISSERTATIO JURIDICA,

Siftens ex

*Præm. Inst. l. 4. C. d. contra h. stipul. §§. 5. & 6. Inst. de J. N.  
G. & C. l. 2. ff. de Orig. Jur. l. 3. C. de P. P. l. 3. C.  
de Test. M. § 24 ff. eod. Sc.*

OBSERVATIONES QUASDAM,

DE

PRUDENTIA IMPE-  
RATORUM ROMA-  
NORUM,

Quas

DIVINI NUMINIS AUXILIO,

Et

NOBILISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ

SENSU,

Sub PRÆSIDIO

VIRI

PRÆNOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, AMPLISSIMI  
atque EXCELLENTISSIMI

DN. THEODORI PAULI, U. J. D.

Ejusdemq; in hac Albertina Profess. Prim.

Sereniss. ac Potentiss. Elector. Brandenb. Consilarii,

& Judicii Aulici Rerum Criminalium Præsidis,

Patroni sui maximi, & Hospitis per biennium  
munificentissimi,

Placidæ Eruditorum ventilationi proponit

& defendet

LEONHARD. JOHANN. CRUSE,

Autor. & Respond.

IN AUDITORIO MAJORI,

Die 25<sup>Octob.</sup> Septemb. Anno 1696.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.